1978
M
222

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0001-3

Oo/R

1) Cicero: de amicitia

Leipzig: Jacob Thanner 1508. 4° (2)

2) Cicero: Paradoxa

[Leipzig]: Jacob Thanner 1508

Herkunft L 92

Lagen: A6, B4, C6 – A6, B4

26 Bl.

1 Sp. 24 Z.

UNIV.- U. LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0002-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0003-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0004-0

Marci Tullij Ciceronis Paradoxa scitu iucundissima.

Saphicum Arnoldi Vuoestefeldes Lindauiensis ad Lectorem.

Dicta si gliscis legitare: plebis
Sensa que contra fuerint: amenum
Perlegas librum: Paradoxa Marci
Qui tibi pandit.

Tullius cognomento M. et Cicero

philosophus maximus et oratorum princeps licet non consulem consul-
patrem tullium nomine habuit matrem vero olbiam. qui cum
per etatem aliquid sapere cepit. ex tempore ingenii magnitudine
equales suos ita superavit ut plerique cives ad eum videndum
proficiscerentur. cuius prima commendatio circa poeticam e-
luxit in qua libellos quosdam edidit. postea crescentibus
annis mox plurimam ostendens nature sue magis convenientiam
adamavit, ceterisque studiis exclusis huic et iuri
civili operam dedit, deinde creatus est consul tam glorio-
se consularem imperium exercuit, ut ab omnibus pater patrie
appellatus fuit. Hic quippe primus philosophiam antea latinis
litteris incognitam explicavit et ad usum sermonis adiunxit. Is ex sua
ingenii sui felicitate cum multa plura conscripsit opuscula. inter
que paradoxorum liber multum per brevis in quo tanta facundia tanta
varietas et copia tanta denique in eis rhetorice laus refulget. ut
doctrine nobilitate alia eiusdem Ciceronis opuscula longe superare
videatur: Scripsit autem illa paradoxa i. admirabilia precepta
ad Brutum inter romanos clarissimum virum. de quo dicebat esse
ut dignus esset qui post ipsum succederet imperio. Cum enim vi-
disset ex senatum [illegible] Catonem animo senatorum compassi
propterea quod admirabilia quedam et nova et abhorrentia a
communi foro prope disputaret. Licet nunquam inferiorem videretur vel
dicendo vel persuadendo maiora dicere voluit

Propterea nomen quattuor sunt species primo scilicet proprium ut Tullius vel amicitie ut quidam [illegible] ut cognomen Marcus Cognomen i. cognationis vel familiaris ut [illegible] Tullius. Agnomen est per aliquem accidentem impositum ut Africanus. Cicero.

Brutus primus consul romanorum fuit qui proprios filios in predicione urbis deprehensos in presentia sua dissecari iussit et postmodum decollari supplicio cuius ipse pater erat spectator.

Differunt orator et rhetor quia orator dicitur [illegible] qui ad eloquendum [illegible] est.

Cicero enim [illegible] non valuit dicere [illegible] Satira [illegible] consule romano

Au

Marci Tullij Ciceronis Paradoxa.

Animaduerti Brute: sepe Catonē auunculū tuū (cum in senatu sententiam diceret) locos graues ex philosophia tractare: abhorrentes ab hoc vsu forensi et publico. sed dicendo consequi tamen vt illa etiam populo probabilia viderentur. Quod eo maius est illi: q̃z aut tibi aut nobis: quia nos ea philosophia plus vtimur que peperit dicendi copiam: et in qua dicuntur ea que non multum discrepant ab opinione populari. Cato autem perfectus (mea sententia) Stoicus: et ea sentit que nō sane pbantur in vulgus: et in ea est heresi. que nullū sequit florem oratiōis. neq3 dilatat argumentū: sed minutis interrogaciunculis et quasi punctis (quod proposuit) efficit. sed nihil est tam incredibile qđ non dicendo fiat pbabile. nihil tam horridum. tam incultū. qđ non splendescat oratione. et tanq3 excolat. Quod cū ita putarem: feci etiā audatius q̃z ille ipe de quo loquor. Cato em̄ duntaxat de magnitudine animi: de cōtinentia: de morte: de omi laude virtutis: de dijs immortalibus: de charitate patrie: stoice solet nullis oratorijs ornamētis adhibitis dicere. Ego autē illa ipsa que vix in gymnasijs et in ocio stoici probant: ludens conieci in cōmunes locos (Que quia sunt admirabilia: contraq3 opinionē omniū) ab ipsis etiam Paradoxa appellantur. tentare volui: possent ne proferri in lucem. id est in forum: et ita dici vt probarent: an alia quedā esset erudita. alia popularis oratio. Eoq3 scripsi libentius: q2 mihi ista Paradoxa que appellantur. maxime videntur esse socratica. longeq3 verissima. Accipies igitur hoc paruū opusculum lucubratum his iam contractioribus noctibus. quoniā illud maiorꝫ vigiliarū munus in tuo noie apparuit. et degustabis genus exercitationū mearum. quibus vti consueui

A ij

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0007-7

cum ea que dicuntur in scolis thetica. id est possessiua ad nostrum hoc oratorium transfero dicēdi genus. Hoc tamē opus in apertum vt referas nihil postulo. Non enim est tale vt in arce poni possit. quasi illa minerua phidie sed tm̄ vt ex eadem officina exisse videat. in hac eadē figura exisse appareat.

Quod honestum sit id solum bonū esse. Vereor tamen ne cui vestrꝫ ex stoicoꝝ hominū disputationibꝰ: non ex meo sensu deprompta hec videatur oratio. Dicam quid sentio tm̄. et dicam breuius q̄ꝫ res tanta dici potest. Nunq̄ꝫ me hercule ego neqꝫ pecunias istorum. neqꝫ tecta magnifica. neqꝫ opes: neqꝫ imperia. neqꝫ eas quibus maxime astricti sunt voluptates. in bonis rebus esse numerandas duxi. Quippe cum viderentur rebus his confluentibus ea tamen desiderare: maxime quibus abundarēt. Neqꝫ em̄ vnq̄ꝫ expletur. nec saciatur cupiditatis sitis. neqꝫ ea solum qui habent libidine augendi cruciantur. sed etiā amittendi metu. In quo equidē continentissimoꝝ hominū maiorū nostrorum sepe requiro prudentiā. qui hec imbecillia et cōmutabilia pecunie membra solo verbo bona putauerunt appellanda. cum re ac factis longe aliter iudicassent. Potest ne bonum cuiq̄ꝫ malo esse: aut potest quis q̄ꝫ in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista oīa talia videmꝰ. vt etiam improbi habeāt et obsint probis. Quāobrem licet irrideat si quis vult. plus apud me tm̄ vera ratio valebit: q̄ꝫ vulgi opinio. Neqꝫ ego vnq̄ꝫ bona pdidisse dicam. si quis pecus aut suppellectilem: amiserit. Necnō sepe laudabo sapientē illum Biantem vt opinor qui enumeratur inter septē sapiētes. cuiꝰ cū quidā patriā, prienā cepisset hostis ceteriqꝫ ita fugerēt et multa de suis rebus secū asportarēt: cū esset admonitꝰ a quodā vt idem ipse faceret. ego vo inquit facio: nam oīa mea mecū porto

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0008-2

Paradoxa.

Ille hec ludibria fortune ne sua quidē putauit. que nos appellamus etiam bona. Quid est igitur quereret aliquis bonum? si quid recte fit et honeste et cum virtute. id bene fieri vere dicitur. Et qđ rectū et honestum et cum virtute est. id solū opinor bonū. Sed hec videri possunt obscuriora cum lentius disputantur. vita atqꝫ factis illustranda sunt summorū virorū hec (hec verbis subtilius qꝫ satis est) disputari videntur. Quero enī a vobis. num illam cogitationem habuisse videanť hi (qui hanc rempublicam tam pclare fundatā nobis reliquerūt) aut auri. aut argenti ad auaritiā aut amenitatum ad delectationē aut suppellectilis ad delitias. aut epularū ad voluptates. Ponite ante oculos vnumquenqꝫ regum: vultis incipere a Romulo? vultis post liberā ciuitatē ab his ipsis qui liberauerūt eam. quibus tandem Romulus gradibus ascendit in celū. ijs ne que isti bona appellant. an rebus gestis. an virtutibus. Quid aūt Numa Pompilius? minusne gratas dijs immortalib' capedines ac fictiles vrnulas fuisse qꝫ delicatas aliorꝫ pateras arbitramur: omitto reliquos. Sūt enī omēs pares inter se preter superbum. Brutū si quis roget. quid egerit in patria liberāda. Si quis item reliquos eiusdē cōsilij socios quid expetiuerint. quid secuti sint. Num quis existat cui voluptas. cui diuitie. cui deniqꝫ (pter officium fortis et magni viri) quicqꝫ aliud ppositum fuisse videatur? Que res ad necem Porsenne Mutiū impulit sine vlla spe salutis sue. Que vis Coclitem ptra omnes hostium copias tenuit in ponte solū. Que vis patrē Decium: que filium deuouit. ac immisit in armatas hostiū copias? quid continentia. C. Fabricij? Quid tenuitas victus. M. curij sequebatur. quid duo propugnacula belli punici. Cn. et Publius Scipiones qui Carthaginensium aduentum corpo

Duo fuerunt Scipiones Gneus Cornelius Scipio et Publius Cornelius Scipio. gemini fratres.

ribus suis intercludandum putauerunt? Quid Affricanus minor? quid maior? Quid inter horum etates interiectus Catho? Quid innumerabiles alij? Nam domesticis exemplis abundamus. an cogitasse quicquam putamus in vita sibi expetendum. nisi qd laudabile esset et preclarum videretur. Veniant igitur irrisores huius orationis ac sententie. etiam vel ipsi iudicent. vtrum se (horum alicuius. qui marmoreis tectis ebore et auro fulgentibus qui signis. qui tabulis. qui celato auro et argento. qui Corinthijs operib' abundant. an C. Fabricij qui nihil eorum habuit: nihil habere voluit) se similes esse malint. Atque hec quidem que modo huc modo illuc transferuntur. facile adduci solent. vt in rebus bonis esse negent. Illud tamen arcte tenent. accurateque defendunt voluptatem esse summum bonum. Que quidem mihi vox pecudum videtur esse non hominum. Tu cum tibi siue deus siue mater (vt ita dicam) rerum omnium natura dederit animum quo nihil est prestantius. neque diuinius: Sic te ipse abijcies atque prosternes. vt nihil inter te et inter quadrupedem aliquid putes interesse. Quicquam ne bonum est quod non eum qui possidet meliorem facit. Ut enim quisque est maximi boni particeps: ita et laudabilis maxime. neque est vllum bonum de quo non is (qui id habeat) honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate. Meliorem ne efficit. aut laudabiliorem virum? An quisque in potiundis voluptatibus. gloriando se etiam predicatione extollit. Atqui si voluptas (que plurimorum patrocinijs defenditur) in rebus bonis habenda non est eaque quo est maior. eo magis mentem ex sua sede et statu dimouet. profecto nihil est aliud bene et beate viuere. nisi honeste et recte viuere.

Secundum paradoxum in quo demonstratur

Paradoxa.

In quo virtus sit ei nihil deesse ad beate vivendum. Nec vero ego M. Regulum erumnosum. nec infelicem. nec miserum unquam esse putavi. Non enim magnitudo animi eius cruciabitur a penis. non gravitas. non fides. non constantia. non ulla virtus. non denique animus ipse. qui tot virtutum presidio munitus. tantoque comitatu septus. cum corpus eius caperetur. capi ipse certe non potuit. C. vero marium vidimus. qui mihi secundis in rebus unus ex fortunatis hominibus. In adversis unus ex summis viris videbatur. quo beatius esse mortali nihil potest. Nescis insane nescis quantas vires virtus habeat. at nomen tantum virtutis usurpas quid ipsa valeat ignoras. Nemo potest non beatissimus esse. qui est totus aptus ex sese. quique in se uno sua ponit omnia. Cui autem spes omnis et ratio et cogitatio pendet ex fortuna. huic nihil potest esse certi. nihilque quod exploratum habeat: permansurum sibi quidem unum diem. eum tu hominem terreto: si quem eris nactus istiusmodi mortis. aut exilii minis. mihi vero quicquid acciderit. in tam ingrata civitate. ne recusanti quidem evenerit non modo non repugnanti Quid enim ego laboravi. aut quid egi. aut in quo evigilaverunt cure et cogitationes mee si quidem nihil peperi tale. nihil consecutus sum. ut eo statu essem. quem neque fortune temeritas: neque inimicorum labefactaret iniuria. Mortem ne mihi minitaris. ut omnino ab hominibus. an exilium. ut ab improbis. demigrandum sit? mors terribilis est his quorum cum vita omnia extinguuntur. Non his quorum laus emori non potest. Exilium autem terribile his. quibus quasi circumscriptus est habitanti locus. non his qui omnem orbem terrarum unum orbem esse dicunt. te miserie. te erumne premunt omnes

qui te beatũ. qui florentem putas. tue libidines te torquent. tu dies noctesq cruciaris: cui nec sat est. quod est. et idipsum qd habes ne non diuturnũ sit futurum times: te conscientie stimulant maleficiorũ tuorũ. te metus exanimant iudicior atq legum. quocunq aspexisti. vt furie sic tue tibi occurrunt iniurie. suspirare que te libere non sinũt. Quamobrem vt improbo et stulto et inerti nemini bene esse potest. sic bonus vir & sapiens & fortis miser esse nemo potest. nec vero cuius virtus moresq laudandi sunt. eius non laudanda vita non est. neq porro fugienda vita est que laudanda est. Esset aũt fugienda si esset misera. Quamobrem quicquid est laudabile. idem et beatum & florens et expetendum videri debet.

Paradoxum tercium

Parua inquit est vt magna culpa. Nec eñ peccata rerum euentu: sed vitijs hominum metienda sunt. In quo peccatur: id potest aliud alio maius esse. aut minus. ipm quidẽ illud peccare quoquo te vertetis vnũ est. auri nauem euertat gubernator: an palee: in re aliquantũ: in gubernatoris inscitiã nihil interest. Lapsa est libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet: q̃ si etiã petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine. Peccauit vero nihilominus: siquidẽ est peccare tanq̃ transire lineas. Quod cum feceris culpa commissa est: q̃ũ longe progrediare: cum semel hic transieris. ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod aũt non licet. id hoc vno tenetur si arguitur non licere. Id siquidem nec maius nec minus vnq̃ fieri potest. quoniã in eo est peccatũ si non licuit: quod semp vnum et idem est. que ex eo peccata nascũtur: equalia sint oportet. q̃ si virtutes pares sunt inter se: paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes: nec bono viro meliorẽ: nec tem-

Paradoxa.

perante temperationẽ. nec forti fortiorẽ. nec sapiente sapientiorem posse fieri. facillime potest perspici. An virum bonũ dicis. qui depositum nullo teste cum lucrari impune posset. auri pondo decẽ reddiderit. si idem in decem milibus pondo auri non idem fecerit. Aut tempãtẽ eũ qui se in aliq̃ libidie continuerit. in aliqua effuderit. Vna vrtus est cõsentiens cum ratione perpetua constantia. Nihil huic addi põt quo magis virtus sit: nihil deniq; demi. vt virtutis nomen relinquatur. Etenim si bene facta. recte facta sunt. et nihil recto rectius est. certe nec bono quidem melius quicq; inueniri potest. Sequit igitur vt etiam vicia sint paria. Siquidẽ prauitates animi recte vicia dicuntur. Atqui quoniã pares virtutes sunt recte facta (quãdo a virtutibus pficiscuntur) paria esse debent. Itemq; peccata (quoniam ex vitijs manat) sint equalia necesse est. A philosophis inquit ista sumis, metuebam ne a lenonibus diceres. Socrates disputabat isto modo. bene Hercule narras. Nam istum doctum et sapientem virum fuisse memorie traditum est. Sed tamen quero ex te quando verbis inter nos contendimus non pugnis vtrũ potius de bonis est querendum. quid baiuli atq; operarij. an quid hoies doctissimi senserint: presertim cum hac sententia non modo verior. sed ne vtilior quidem hominum vite reperiri vlla possit. Que vis est enim que magis arceat homines ab improbitate omni. quam si senserint nullum in delictis esse discrimen. Eque peccare si priuatis. ac si magistratibus manus inferantur. quamcunq; in domum stuprum intulerint eandem esse labem libidinis. Nihil ne igitur interest: nam hoc dicit aliquis. patrem quis necet. an seruum. nuda ista si ponas. iudicari qualia sint non facile possunt. Patrem vita priuare si per se: scelus est: saguntini (qui parẽtes suos

liberos emori: quam servos vivere maluerunt) Patriae defuerunt. Ergo et parenti nonnunquam adimi vita sine scelere potest. et servo sepe sine iniuria non potest. Causa igitur hec non natura distinguit que quando altero accessit id fit propensius. Si vtrobique adiuncta est. eadem causa paria fiant necesse est. Illud tamen interest: quod in servo necando. si id fit iniuria: semel peccatur: in patris vita violando multa peccantur. Violatur is qui procreavit: is qui aluit. is qui erudivit: is qui sede ac domo. atque in republica collocavit. multitudine peccatorum prestat: eoque pena maiore dignus est. Sed nos in vita non que cuique peccato pena sit sed quantum cuique liceat. spectare debemus. Quicquid non oportet. scelus esse. quicquid non licet. nefas. putare debemus. etiam ne in minimis rebus. Siquidem rerum modum fingere non possumus. animorum modum tenere possumus. Histrio si paulo se movit extra numerum. aut si versus pronunciatus est. syllaba sed vna brevior aut longior exsibilatur exploditur. In vita (que omni gestu moderatior. omni versu aptior esse debet) vna in syllaba te peccasse dices. Poetam non audio in nugis. in vite societate audeam civem digitis peccata dimetientem sua. que si visa sint breviora. leviora qui possint videri. cum quicquid peccatur perturbatione peccetur rationis atque ordinis. perturbata autem semel ratione et ordine. nihil possit addi quo magis peccari posse videatur.

Omnes stultos insanire. Ego vero te non stultum vt sepe. non modo improbum vt semper. sed dementem et insanum rebus addicam necessariis. Sapientis animus magnitudine consilii. tollerantia rerum humanarum. contemptione fortune. virtutibus denique omnibus: vt menibus septus vincetur et expugnabitur? qui nec civitate quidem pelli potest. Que est enim civitas: omnis ne conventus etiam ferorum et immanium.

Paradoxa.

Omnis ne etiam fugitivorum ac latronum congregata vnum in locum multitudo: certe negabis. Non igitur erat illa tum civitas cum leges in ea nihil valebant: cum iudicia iacebant: cum mos patrius occiderat cum ferro pulsis magistratibus. senatus nomen in republica non erat predonum ille concursus. et te duce latrocinium in foro constitutum. et reliquie coniurationis a Catilline furijs: ad tuum scelus furoremqꝫ conuerse: non civitas erat. Itaqꝫ pulsus ego civitate non sum. que nulla erat. accersitus in Civitatem sum. vt esset in Republica consul. qui tum nullus fuerat. essetqꝫ Senatus qui tum occiderat. esset consensus populi liber vt esset Iuris et Equitatis (que vincula sunt Civitatis) repetita memoria. At vide quam ista tela contemserim Iactam et immissam a te nefariam in me iniuriam semper duxi tamen peruenisse ad me nunquam putaui. Nisi forte cum parietes disturbabas. aut cum tectis sceleratas faces inferebas meorum aliquid ruere aut in vrbe deflagrare arbitrabare. Nihil enim meum est neqꝫ cuiusqꝫ quod auferri quod eripi. quod amitti potest. Si mihi eripuisses diuinam animi constantiam. meas curas. vigilias. consilia in rempublicam. si huius eterni beneficij immortalem memoriam deleuisses. multo etiam magis: si illam mentem vnde hec consilia manarunt mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer iniuriam. Sed si hec nec fecisti. nec facere potuisti. Reditum mihi gloriosum tua dedit iniuria. Non exitum calamitosum. Ergo ego semper Civis. et tum maxime cum meam Salutem Senatus exteris nationibus (vt Civis optimi) commendabat. Tu ne nunc quidem es Civis. nisi forte idem hostis esse et Civis potest. An

Exilium probat

tu ciuem ab hoste natura: ac loco: non animo factisqꝫ distinguis. Cedem in foro fecisti. Armatis latronibus templa tenuisti. Priuatorum domos. edesqꝫ sacras incendisti. Cur hostis Spartacus. si tu ciuis? Potes aūt esse tu ciuis propter quē aliquādo ciuitas nō fuit. et me exulem tuo noīe appellas. cum oēs meo discessu exulasse rempublicam putent. Nunqꝫ ne homo amentissime te circumspicies. Nunqꝫ nec quid facias considerabis, nec quid loquare. Nescis exilium scelerum esse penam. meū illud iter ad preclarissimas res a me ante gestas esse susceptum. Omnes scelerati atqꝫ impij (quorū tu te ducem esse profiteris. quos leges exilio affici volunt) exules sunt. etiam si solum non mutauerunt. An cum oēs te leges exulem esse iubeāt non eris tu exul? Non appellatur inimic⁹ qui cum telo fuerit ante senatū? tua sica deprehensa est. qui hominē occiderit. tu plurimos occisti. qui incēdium fecerit? edes nympharū manus tua deflagrauit. qui templa deorum occupauerit? in foro etiā castra posuisti. Sed quid ego cōes leges ꝓfero quib⁹ omnibus es exul. familiarissimus tuus de te priuilegiū tulit. vt si in opertū bone dee accessisses: exulares. At te id fecisse etiā gloriari soles. Quō igitur tot legibus in exiliū eiectus nomen exulis non perhorrescis. Rome sum inquis et tu quidem in portu fuisti. Non igitur vbi quisqꝫ erit. eius loci ius tenebit. si ibi eum legibus esse subiectum non oportebit.

Paradoxū quintū

Omnes sapientes liberos esse. et stultos omnes seruos. Laudetur vero hic imperator. aut etiā appellet. aut hoc noīe dignus putetur? Quō aut cui tandē hic libero imperabit qui nō pōt cupiditatibus suis imperare? Refrenet primū libidines. spernat voluptates. iracundiā teneat coerceat auariciam. ceteras animi labes repellat. tum incipiat alijs impe-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0016-7

rare. cum ipse improbissimis dominis. dedecori ac turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediet. non modo imperator sed liber habend' omnino non erit. Preclare enim est hoc vsurpatum a doctissimis quorum auctoritate nõ vterer. si mihi apud aliquos agrestes hec dicenda esset oratio. Cũ vero apud prudentissimos loquar. quibus hec inaudita non sunt cur ego simulem me (si quid in his studijs opere posuerim) perdidisse. Dictum est igitur ab eruditissimis viris nisi sapientem liberum esse neminem. Quid est enim libertas? Potestas viuendi vt velis. Quis igitur viuit vt vult nisi qui recta sequitur. qui gaudet officio. cui viuendi via considerata atq3 prouisa est. qui legibus quidem. non propter metum paret. sed eas sequitur atq3 colit. quia id salutare maxime esse iudicat qui nihil dicit. nihil facit. nihil cogitat deniq3. nisi libenter ac libere. cuius omnia consilia. resq3 omnes (quas gerit) ab ipso pficiscũtur. eodemq3 feruntur. Nec est vlla res que plus apud eum polleat q3 ipsius voluntas atq3 iudiciũ. Cui quidem etiam (que vim habere maximam dicitur) fortuna ipsa cedit. sicut sapiens poeta dixit. Suis quisq3 fingitur moribus. Soli igitur hoc contingit sapienti vt nihil faciat inuitus. nihil dolens. nihil coactus. Quod et si ita esse pluribus verbis disserendum est. illud tamen et breue et confitendum est. nisi qui ita sit affectus esse liberum neminem. Igitur omnes improbi serui. nec tam hoc re est. q3 dictu inopinatum atq3 mirabile. Non enim ita dicunt eos esse seruos. vt mancipia que sunt dominorum facta nexu aut aliquo iure ciuili. sed si seruitus sit sicut est obedientia fracti animi et abiecti. et arbitrio carentis suo. quis neget omnes leues omnes cupidos. omnes deniq3 improbos esse seruos. An ille mihi liber videtur cui mulier imperat. cui leges

Est locus ab auctori-

Venit pro intellectu

Duo enim sunt gene-

Volens a contrario

Iure ciuili fiebat

Posita

Ciceronis.

imponit. prescribit iubet. vetat quod videtur. qui nihil imperanti negare potest. nihil recusare audet. si poscit dandum est. si vocat veniendum est si eijcit abeundum. si minatur extimescendum. Ego vero istum non modo servum. sed nequissimū servum (etiam si in amplissima familia natus sit) appellandum puto. Atqꝫ ut in magna familia stultorum. sunt alij lautiores (ut sibi videntur) servi. sed tamen servi atrienses actu pari stulticie sue sunt quos signa. quos tabula. quos celatum argētum. quos corinthia opera quos edificia magnifica nimio opere delectant. et sumus inquiunt principes civitatis. vos vero ne servorum quidem vestrorum principes estis. Sꝫ ut in familia qui tractant ista. qui tergunt qui ungunt. qui verrunt q̄ spergunt non honestissimū locum servitutis tenent. Sic in civitate qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt ꝛ ipsius servitutis locum pene infimum obtinent. Magna inquis bella gessi. magnis imperijs et provintijs prefui. Gere igitur animū laude dignum. Actionis tabula te stupidum detinet aut signum aliquod Policleti. Miror unde sustuleris. ꝛ quomodo habeas. Intuentem te et admirantem. clamores tollentem cum video. servum te esse ineptiarum omnium iudico. Nonne igitur sunt illa festiva. Sint. Nam nos q̄qꝫ eruditos oculos habemus. Sꝫ obsecro te ut hec. ita venusta habeātur ista. non ut vincula virorū sint. sed ut oblectamēta puerorum. Quid enī censes si. L. Mummi' aliquē istorum videret Matellionē corinthiū cupidissime tractantem. cū ipse totam corinthū cōtempsisset. utrum illum civem excellentem. an atriensem servum diligentē putaret. Reviviscat. M. Curius aut eorum aliquis quorū in villa ac domo nihil splendidū. nihil ornatū fuit preter ipsos. Et videat aliquē summis populi beneficijs usum barbatulos

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0018-8

mullulos exceptantem de piscina et pertractantem. et murenarum copia gloriantem. Nonne hunc hominē ita seruum iudicet. vt ne in familia quidē dignum maiore aliquo negocio putet. An eorum seruitus dubia est. qui cupiditate peculij nullam conditionē recusarit durissime seruitutis. Hereditatis spes quid inquitatis in seruiendo non suscipit. Quem nutum locupletis orbi senis non obseruat. loquitur ad voluntatem quicquid denunciatum sit. facit assentatur. assidet. miratur. Quid horum est liberi. quid deniq̄ nisi serui non inertis. quid iam illa cupiditas que videtur esse liberior. honoris. imperij prouinciatum. q̄3 dura est domina. q̄3 imperiosa. q̄3 vehemēs Cethego homini non probatissimo seruire coegit eos qui sibi amplissimi videbantur. munera mittere. noctu venire domum ad eum. precari deni q̄3 supplicare. Que seruitus est si hec libertas existimari potest. Quid cum cupiditatum dominatus excessit. et alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum timor q̄3 est illa miseria. q̄3 dura seruitus. adulescentibus paulo loquatioribus est seruiendum. omnes (qui aliquid scire videntur) tan q̄3 domini timentur. Iudex vero quantum habet dominatum. quo timore nocentes afficit. An non est omnis metus seruitus. Quid volet igitur illa eloquentissimi viri. L. Crassi copiosa magis q̄3 sapiens oratio. eripite nos ex seruitute. Que est ista seruitus tam claro homini tamq̄3 nobili Omnis enim animi debilitata et humilis et fracta timiditas seruitus. Nolite sinere nos cuiq̄3 seruire libertatem vindicare vult Minime. Quid enim adiungit nisi vobis vniuersis. dominū mutare. non liber esse vult. quibus et possumus et seruire debemus. Nos vero siquidem animo excelso et alto et virtutibus exaggerato sumus. nec debemus. nec possumus. Tu posse te dicito;

Concludit paradoxū ostendens marcū Antoniū non posse nec debere appellari imperatorē vel liberum.

quoniam quidem potes debere ne dixeris. quoniam nihil quisquam debet nisi quod est turpe non reddere. sed hec hactenus. Jlle videat quo modo imperator esse possit. cum eum ne liberum quidem esse ratio et veritas ipsa conuincat.

Hoc Paradoxū

Solum sapientē

Qvod solus sapiens diues sit. Que est ista inconmemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio. solus ne tu diues. proh dij immortales. Ego ne me audisse aliquid et didicisse non gaudeam Solus ne tu diues? Quid si ne diues quidem? Quid si pauper etiam. Quem enim intelligimus diuitem. aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo cui tanta possessio est. vt ad liberaliter viuendum facile contentus sit. qui nihil querat. nihil appetat. nihil optet amplius. Animus enim tuus oportet se iudicet diuitem. nō hoīm sermo. neqȝ possessiōes tue. et qui nihil sibi deesse putat. nihil curat amplius satiat᷒ es aut contentus etiam pecunia. concedo diues es. Sin autē ꝑpter auiditatē pecunie nullum questum turpe putas. cum isti ordini. ne honest᷒ quidē esse possit vllus si quottidie fraudas. decipis. poscis. pacisceris: aufers. eripis. si socios spolias. erariū expilas: si testamenta tuorū amicoꝝ expetis. aut ne expetis quidem. atqȝ ipse suppōnis. hec quidem vtrū abundantis an egentis signa sunt. Animus hominis diues. non arca appellari solet. Quāuis illa sit plena dum te inanem videbo. diuitem non putabo. Etenim ex eo quantum cuiqȝ satis est metiunt᷒ homines. diuitiarum modum. Filiam quis habet. pecunia est opus. Duas maiore plures. maiore. etiam vt aiūt Danai quinquaginta sint filie. tot dotes magnam querunt pecuniam Quantum enī cuiqȝ opus est ad id accomodatur vt ante dixi diuitiaꝝ modus. Qui igitur plures nō filias sed innūerabiles

Testamentū vt

Danaus vt dt

cupiditates habet. que breui tempore maximas copias exhaurire possint hunc quomodo ego appellabo diuitem? cum ipse egeret se senciat. Multi ex te audierunt cum dices nemine esse diuite. nisi qui exercitu alere posset suis fructibus. quod. p. R. ex tantis vectigalibus iam pridem vix pot contingere. Igitur hoc pposito nunq̃ eris diues anteq̃ tibi ex tuis possessionib' tm̃ reficiatur vt eo tueri sex legiones et magna equitu ac peditum auxilia possis. Jam fater igitur non esse te diuitem cui tantum desit vt expleas id qd̃ exoptas. Itaqz istam paupertatem. vel potius egestatem ac mendicitatem tuam nunq̃ obscure tulisti. Nam vt his qui honeste rem querunt mercaturis faciendis. operis dandis. publicis sumendis. intelligimus opus esse quesito. sic qui videt domi tue pariter accusatorum atqz iudicum consociatos greges. qui nocentes ⁊ pecuniosos reos eodem te auctore corruptelam iudicij molientes. qui tuas mercedum pactiones in patrocinijs intercisas pecuniarum in concionibus candidatorum. dimissiones libertorum. ad fenerandas diripiendasqz prouincias. que expulsiones vicinorum qui latrocinia in agris. qui cum seruis. cum liberis. cum clientibus societates. qui possessiones vacuas. qui pscriptiones locupletium. qui cedes municipiorum qui illam Syllani temporis messem recordet. qui testamẽta subiecta tot. q̃ sublatos hoies. q̃ deniqz oĩa venalia delectu. decretu alienum ⁊ suam sententiam forum. domu. vocem. silentiu quis hunc nõ putet cõfiteri sibi quesito opus esse. Cui quesito aut opus sit. qs vnq̃ huc vere dixerit diuite. Etenim diuitiarum est fructus in copia. Copiam aut declarat societas rex atqz abundãtia quã tu qm̃ nunq̃ assequere. nunq̃ oĩno es futur' diues Meã aut qm̃ pecuniã cõtemnis. ⁊ recte. est em̃ ad vulgi opinionem mediocr'. ad tuam nulla

Rephendit Cicero Marcum Crassum de inani sua cupiditate sua.

Ex dictis concludit Crassum non diuitem esse confessione propria

Consueuerunt Rhomani

Alia ratione pbat Crassum non diuitem esse

ad meam modica. de me silebo. de te loquar. si censenda nobis sit. atq; estimanda res est. vtrum tandem pluris estimabimus pecuniam. Pyrrhi quam Fabricio dabat. an continentiam Fabricij. qui illam pecuniam repudiabat. vtrum aurum samnitum. an responsum. M. curij hereditatem. L. Pauli. an liberalitatem Africani. qui eius hereditatis. Q. maximo fratri partem suam. concessit hec profecto (que sunt summarum virtutum) pluris estimanda sunt. q̃ illa que sunt pecunie membra. Quis igitur siquidem vt quisq; quod plurimi sit possideat ita ditissimus habendus sit dubitet. quin in virtute diuitie sunt. quoniam nulla possessio. nulla vis auri et argenti pluris q̃ virtus estimanda est. O dij immortales non intelligunt homines q̃ magnũ vectigal sit parsimonia Venio enim iam ad sumptuosos relinquo istum questuosum. Capit ille ex suis predijs sexcenta sestertia. Ego centena ex meis Illi aurata tecta in villis. et sola marmorea facienti. et signa tabulas. suppellectilem. et vestem infinite concupiscenti. non modo ad fructum ille est sumptus. sed etiam ad fenus exiguus. Ex meo tenui vectigali detractis sumptibus cupiditatis aliquid etiam redundabit. Vter igitur est ditior cui deest. an cui superat qui eget. an qui abundat. cui possessio quo est maior eo plus requirit ad se tuendam. an qui suis se viribus sustinet. Sed quid ego de me loquor qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam ipse fortasse in huius seculi errore verser. M. Manlius patrum nostrorum memoria (Ne semper curios et Licinios loquimur) pauper tandem fuit. habuit enim ediculas in carinis. et fundum in labicano. Nos igitur ditiores sumus qui plura habemus. Vtinam quidem essemus. Sed non estimatione census: verum victu atq; cultu. terminatur

Paradoxa.

pecunie modus. nō esse cupidū pecunia est. nō esse emacē vectigal est. Contentū vero suis reb⁹ esse maxīe sunt certissimeq3 diuitie. Etenī si isti callidi rerum estimatores. prata et areas quasdā magni estimāt. qd ei generi possessionū minie q̄si noceri potest: quanti est estimāda virtus que nec eripi nec surripi potest. neq3 naufragio. neq3 incendio amittit. nec tempestatū nec temporum p̄mutatiōe mutat qua p̄diti (qui sunt) soli sunt diuites. Soli eīn possident res et fructuosas et sempiternas. soliq3 (qd est p̄priū diuitiarū) contenti sunt rebus suis. Satis esse putant qd est. nihil appetunt. nulla re egēt nihil sibi deesse sentiūt. nihil requirūt. Improbi aūt et auari (quoniā incertas atq3 in casu positas possessiōes habēt) et plus semper appetūt. nec eorum quisq̄3 adhuc inuent⁹ est. cui (quod haberet) esset satis nō modo non copiose ac diuites. sed etiā inopes ac pauperes estimandi sunt.

Finis Paradoxorum Tullij per Jacobum
Thanner Anno salutis christiane Millesi
mo quingentesimooctauo impressum.

Anno 1592

P. V. E.
R

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0025-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0026-2

78 M 222

ULB Halle 3
003 001 636

TA → OL

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0027-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0028-3

Marci Tullij Ciceronis
...doxa scitu iucun-
...dissima.

...cum Arnoldi Buoestefel
...daviēsis ad Lectorem.

...si gliscis legitare: plebis
...ā que contra fuerint: amenum
...gas librum: Paradoxa Marci
Qui tibi pandit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-435856-p0029-2